



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

X. Paulò clarior modi istius, quotidie sub nocte[m] in seipsum inquire[n]di,
& deinde Deo confitendi, explicatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput II. De Definitione

*Questio Paulò clariùs, & magis in specie mo-
X. dum istum quotidie sub noctem in se-
ipsum inquirendi, & deinde DEO
confitendi explicato?*

Respōsio. **H**ÆC methodus seruari poterit. **PRIMO** beneficiorum, quæ nobis à DEO non in genere solùm, sed singulatim maximè, collata esse senserimus; eo præsertim die, rationem diligenter subducemus, ac numerum, siue hæc animum solum, siue corpus etiam spectent, & de iis obnixè gratias ei agemus, & habebimus.

Deinde precabimur, vt qui vitam nobis in eam vsque horam produxit, ad meliorem eius rationem ineundum, is nobis mentis aciem acuat, ad errores dignoscendos, quos potissimùm eo die admiserimus.

TERTIO, singulas diei præterite actiones expendemus, tum voces, ac ipsas deniq; cogitationes; primùm quidè ab iis exorfi vitis, quæ nobis domestica magis esse senserimus, quorùm & pondus, & numerum notabimus. Deinde disquiremus, quæ sit vitæ nostræ ratio, ac status, & quid in eo genere peccati admitti potuit. Tertio, videbimus, quibus cū versati fuerimus, & qua in re hîc labi, ac errare potuimus. Postremò à nobis ipsis exigemus, nunquid eorùm quidpiã omiserimus, quæ conscientia nobis, vt præstaremus, suggerit.

QVARTO.

QVARTO, deniq; veniam à DEO, demisso ac humili animo rogabimus; sed his duabus tamen obsecratis rebus: Primum, ut reos nos æternæ mortis iam pridem esse, coram eo agnoscamus, ob eamq; maximè causam, bonitatē eius atq; clementiā flagitemus: Deinde spē animo meliorē concipiamus in posterū, vitæ castigatioris, quam & verbis conceptis exprimamus, & omnes vitiorū causas, ac fomenta nos abiecturos polliciamur; eius tamē ope, sine quo inepta esset, & temeraria nostra cōtētio, p̄ Iesum Christū. Amē.

An non Confessio illa interior peccatorū ad DEVM, cū sine intermissione, vel quotidie saltem fieri debeat, hoc nomine homini valde molesta futura est?

Questio
XI.

RE vera nō habes; quo te à quotidiana ista Cōfessione excuses: Nam si omninò per diē non habuisti tempus excutiendi rationes tuas, saltē quando accubueris super stratum, & neminē habueris infestum, anteq̄ veniat tibi somnus, profer in mediū codicē, consciētiam tuā, & reminiscere peccata tua; si quid in verbo, vel facto, seu cogitatione peccasti, dicito in corde tuo, & in anima tua: Expendamus diem, o anima, quid boni fecimus, aut quid mali operati sumus? Tum si boni

Respositio

D 3

cuius.